

3  
L. F. F. S  
COMMENTATIO PHILOSOPHICA

De

# DEFINITIO- NIBUS,

Quam,

*Consentiente amplissima ad Auram Facultate Philosophica,*

Sub PRÆSIDIO

Mag. JOHANNIS WALLENII,

Philosoph. Theor. Prof. Ordin.

*Publico examini modeste subjicit*

ALUMNUS REGIUS

GUSTAVUS HAARTMAN Gabr. Filius!

*Austro Fennus.*

Die 8:vo D.V. Octobris A:o restauratæ salutis  
MDCCLXXXVII.

Loco horisque solitis.

---

ABOÆ; Excud. Joh. Kiämpe, Reg. Acad. Typogr.

21. 67



I. N. R. J.

PROOEMIUM.

**P**hilosophi, quorum est ex ipsis rebus earumque natura solidam acquirere cognitionem, varias, in excolendis scientiis atque disciplinis, ingressi sunt vias. Quidam eorum, methodo arbitraria, per symbola, breves sententias, fabulas, canones, dialogos, & quæ reliqua sunt ejusdem generis, opus hocce arduum aggressi sunt: alii methodo quidem systematica suas congesserunt veritates, sed absque accurata quadam demonstratione: alii demum, non tantummodo systematice verum & demonstrative, sua proposuerunt dogmata. Et hæc ultima philosophandi ratio, quin palmam aliis præcipiat, nulli dubitamus; quippe quæ asserta per legitimam consequentiam ex principiis certis probet atque demonstret, ac consequenter animum de veritate alicujus doctrinæ convincat, adeo ut certi esse possimus, nos in judicando non errasse. Cum vero tandem demonstrationes nitantur de-

definitionibus; non inutile prorsus fore duxerim, hanc de *definitionibus*, earum *natura*, *indole* & *usu* materiam rudi licet minerva explicare. Te itaque L. B. etiam atque etiam rogatum volo, digneris primitias hasce juventutis meae æqui bonique consulere.

§. I.

**I**N iis quæ circa inscriptiones dissertationum observari solent, non multum desudabo; quum verbo solum monuisse sufficiat, ab agrorum camporumque suis finibus limitibusque circumscriptione ac distinctione, translatum esse terminum *definitionis*, a philosopho ἰδέω seu ὁρασιον dictum, in aream philosophicam, ad designandam orationem, quæ naturam rei explicat eamque ab aliis distingvit. Proinde statim ad idearum sive notionum, definitiones constituentium, considerationem me accingo. *Idea* seu *notio*, est *representatio rei in intellectu*; notionem enim rerum dicimus habere, quando res qualescunque in intellectu nobis representamus, sic dum fit representatio lucis, utpote illius quod efficit, ut objecta circumstantia videri possint, notio lucis habetur, sive hoc fiat sub imagine (a), sive symbolis externis (b),

(a) Sic sub imagine, ædificium quoddam amplum mihi represento, quando illud in intellectu, memoria & imaginationis quasi coram intueor.

(b) Sub symbolis autem externis ædificium tale mihi represento, si vel picturis, vel verbis, vel aliis quibusdam signis indigito illud nihil aliud esse, quam domum quam

absque habito respectu ad gradus claritatis (c). Ut autem clarior notionis sive idea, a perceptione & apperceptione distinctæ, idea formetur, distingvi debet actus mentis, quo fit representatio, ab ipsa representatione *materialiter*, aut in relatione ad objectum quod representatur considerata, & denique actu, quo mens representationis illius, consequenter rei qualis representatur, sibi est conscia. Ille *perceptio*, ista *idea sive notio*, hic *apperceptio* vocatur, prout egregie observavit *Christ. Wolf.* in sua *Psychol. Empir.* p. 1. sect. II. c. 1. §. 48.

§. II.

**N**Otiones rerum, cum æqualem gradum claritatis non habeant (§. I.), ab eruditis ratione claritatis, varias, in classes distingvi solent: ut I: in *claras* atque *obscuras*: 2: in *distinctas* atque *confusas*: 3: in *completas* atque *incompletas*: 4: in *adequatas* &

A 2

*in-*  
dam magnam ex materia rara atque pretiosa, secundum regulas architectonicas, extructam

(c) *Experientia quotidiana* notum est, si modo accurate ad notiones nostras attendimus, quod omnes æque clarae non sint. E. gr. si quis notionem mensae haberet, quod sit tabula sustentaculo ita super imposita, ut huc illucve dimoveri non possit; haberet etiam notionem coloris rubri, ita ut eum distingvere posset ab omnibus aliis rebus; patet tamen priorem notionem clariorem esse posteriori; in illa enim notas quasdam recensere valet, in hac non item.

<sup>4</sup>  
*inadequata*. Notio dicitur & est *clara*, si rem quam nobis repræsentamus, ab omnibus aliis rebus distinguere possumus, licet non semper notas quasdam recensere valeamus: sed cum in potestate nostra firmum non est, objectum præter ab aliis objectis distinguere, notio audit *obscura*. Porro in notione clara, aut notas, quibus ab aliis differt nobis repræsentare sigillatimque recensere possumus, aut non: in priori casu *distincta*, in posteriori *confusa* salutatur. Quod si in re cuius notionem habemus distinctam, talia enumerare possumus, quibus constanter, h. e. semper, omni loco, omni occasione, omnique tempore, ab aliis quibuscunque rebus discernitur, dicitur notio *completa*: sin minus *incompleta* est. In notione *distincta* dantur notæ, per quas objectum præter ab aliis distinguitur, ut paulo superius diximus: harum vero notarum si notionem itidem habemus claras atque distinctas, notio est *adequata*: si notionem autem notarum illarum tantummodo confusæ sunt, notio evadit *inadequata*.

§. III.

**N**otio *determinata* est, quæ nec plures nec pauciores continet notas, quam quæ rei repræsentandæ sufficiunt, quæ ipsi respondet (a).

§. IV.

**R**es omnimode *determinata*, *individuum* appellatur: *individuum* autem similitudo *species*: similitudo

(a) *vid. Baumisteri Philos. Definitiva, p. 24.*

<sup>5</sup>  
similitudo porro quæ speciebus intercedit, *genus* dicitur; similitudo autem generum inferiorum *genus superioris* constituit. E. gr. Quid est, quod planetam Saturnum ens individuum faciat? nisi quod superioris planetarum sit, situs inter *Jovem* & *stellas fixas*, quod satellites circa se quinque habeat, quod hanc plagam mundi nunc occupet, quod hac hora pomeridiana appareat, & quæ reliquæ sunt ejusmodi extrinsecæ determinationes. Quod si omnes illæ abjiciantur, intrinsecæ remanent: nimirum quod *Saturnus sit corpus opacum, luce propria destitutum, sed a sole mutuatitiam gaudens*. Et sic habemus notionem entibus individuis communem, omnibus puta planetis, h. e. toti speciei; nam similitudo individuum constituit mihi species, ut supra in hac §. dictum. Uterius si determinationes quædam intrinsecæ præscindantur, e. gr. quod sit corpus *opacum, quod luce aliqua a se ipso non gaudeat, sed a sole mutuetur*: remanet tantummodo quod sit *Corpus*. Quæ notio cum aliis speciebus communis sit, e. g. stellis fixis &c., consequenter notionem generis constituit; similitudo enim specierum genus est (conferatur initium §i) Quod si ulterius cum aliis generibus conferre placuerit, apparebit, corpus cum notione spiritus in eo convenire, quod ambo sint substantiæ finitæ: & eo modo ad notionem generis superioris pervenit, ut ex definitione illius supra adhibita apparet. Patet quoque ex hisce quod genera

ra inferiora habeant se ad genera superiora, ut species ad suum genus.

## §. V.

**H**isce ita præmissis, appellamus *definitionem*, notionem completam & determinatam generis & speciei; sive orationem, qua significatur notio completa atque determinata termino seu definito respondens (a).

## §. VI.

**I**ndivida itaque seu res singulares defini non possunt, sed tantummodo describi. Sit enim A individuum quoddam, ex natura ipsius fluit, quod omne quicquid in A sit, omnimode determinatum sit (§. 4.). Ad notionem vero completam requiritur, ut objectum aliquod constanter ab aliis objectis atque rebus distinguatur (§. 2.). Cum autem determinationes individuorum, seu quod idem est, relationes ad alia simul existentia, continuo fere mutantur, ut testatur experientia, sequitur, quod per notas individuorum, licet vel centum enumerentur, res aliqua constanter tamen ab aliis distingui non possit: consequenter nec A. Quod si A constanter ab aliis objectis distingui non possit, nec notio completa sibi A datur (§. 2.); ideoque nec definitio sibi A possibilis est, ad definitionem enim requiritur notio completa (§. 5.). Q. E. D. Addam exemplum ex Celeberrimi Wolfii Log. minori desumptum, & quidem

(a) *Definitum vocatur omne id quod definiendum est.*

ex §. 36 Cap. Ii, ubi sic loquitur. *Quodsi iubens alterum, qui mala citria nondum vidit, ut malum citrium ex museo suo arcessat, & dixerit, esse fructum coloris flavo, & figura oblonga, qui in mensa parva ad dextrum conclare ingredientis latus constitutus jacet; notio ( mali citrei puta) descriptio quedam est: neque enim servit malo citrio agnoscendo, nisi in dato casu singulari.* Unde liquet, impossibile fore malum hoc citrium definire, nisi positis semper atque constanter iisdem conditionibus atque circumstantiis, quæ nunc ponuntur; quibus vero sublati, notio mali citrei distincta evadit obscura. Quod vero ex notione rei alicujus obscura, nulla definitio condi possit, id nemini ignotum esse potest. Et sic cum reliquis individuis.

## §. VII.

**C**um definitio sit notio completa & determinata (§. 5.), notioque completa requirat ejusmodi notas, ut constanter objectum aliquod agnoscere & ab aliis distinguere possimus (§. 2.): sequitur, quod nulla definitionem ingredi debeat nota, que non semper & in omni casu rei conveniat. Hoc est, nihil, quod non intrinsecum sit rei definiendæ; notæ enim definitionem ingredientis, ab intrinsecis sumendæ; nihil aliud quippe sunt, quam *intrinseca rebus unde agnoscantur.* Quæ si non observatur regula, definitum per talem definitionem constanter agnoscere non possumus. E. gr. Si quis sensu, aquam aliquam calidam

8  
lidam esse, perciperet, & hanc notam, definitionem  
ejus ingredi pateretur: impossibile certe foret, illam  
constanter agnoscere; quum aqua non semper sit ca-  
lida, sed vel igni, vel solis atque aëris calori expo-  
sita, calefiat. Patet itaque veritas asserti, *nihil ni-  
mirum definitionem ingredi debere, quod non constanter ei  
conveniat.*

§. VII.

**N**ota definitionem ingredientem simul sumta, definitum ab  
omnibus aliis rebus distinguere debent, alioquin defi-  
nitio imperfecta est. Prout Cartesius dum in Princip.  
philosoph. part. 2 a §. 4. corpus definit, quod sit sub-  
stantia extensa in longum, latum & profundum (a),  
imperfectæ definitionis a recentioribus arguitur; quum  
ex mente quorundam spatium in abstracto concipi  
debeat tanquam extensum ex plurium coëxistendi  
possibilitate resultans: quippe quod multorum ex-  
tra se invicem existentium unio extensionem con-  
stituat. Definitio autem est notio completa atque  
determinata (§. 5.) cuius, notionis puta completæ,  
natura atque indoles requirit, ut res constanter ab  
omnibus aliis distinguatur objectis (§. 2.).

§. IX.

**V**Oces, ut quotidie experimur, nihil aliud sunt  
quam signa notionum, sono articulo vel et-  
iam litteris expressa. Adeoque is qui audit vel le-  
git voces alterius, eandem ac alter omnibus vocibus

(a) vid. Walcbii Lex. philosoph. p. 455. &c.

9  
bus tribuere debet significationem; alias eandem  
notionem ac alter in se excitare non valet: & per  
consequens nec mentem illius assequitur vel intelli-  
git, ut quisvis videre potest. Voces quæ ab erudi-  
tis arte excogitatæ sunt, & ad certas res indican-  
das destinatæ, ad quarum differentiam a vulgo non  
attenditur, termini technici dicuntur. Horum vero  
significatum, utpote ab usu & impositione erudito-  
rum dependentem, cum ex communi usu loquen-  
di nemo haurire possit, ut ex definitione patet: ne-  
cessarium est, ut significatio illorum a præcedanea  
quodam explicatione hauriatur; quum alioquin  
quid sibi velint termini isti, vix ac ne vix qui-  
dem innotescat. Ex dictis itaque necessitas cano-  
nis Logici apparet: *nullus definitionem ingredi debet ter-  
minus, nisi antea explicatus*; definitio enim alias in-  
telligibilis non esset sed obscura; quod naturæ ipsi-  
us definitionis adversatur, quippe ad quam requi-  
ritur notio completa atque determinata (§. 5.). Ex-  
emplo assertum declarabo: *linea horizontalis*, in Ma-  
thesi definitur, quod sit ejusmodi *linea, ad quam radius  
a centro terre ductus est perpendicularis*. Quis quæso hanc  
intelligeret definitionem? Si non antea terminos e-  
am ingredientem perspectos sibi haberet: nimirum,  
quid *linea perpendicularis* sit, quid *radius*, quid *cen-  
trum terre*. Termini itaque ejusmodi, si definitionem  
in systemate philosophico ingrediuntur, definitio me-  
rito audit obscura.

B

§. X.

**M**ulto minus terminis inanibus rem aliquam definire licet, h. e. ejusmodi qui sunt soni sine mente. Huius assertionis veritatem ita demonstramus: nihil est cui nulla notio respondet; termini vero inanes sunt nihil; nam definitio nisi nihili illis convenit; cuiusque vero convenit definitio, ei etiam convenit definitum, ut regula audit Logicorum; & cum nulla respondeat notio nisi nihilo, ex nihilo naturam alicujus definiti intelligere non possumus, quod tamen ab unaquaque requiritur definitione (§. 5.). Vel alio modo: notio deceptrix est quæ constat terminis inanibus; consequenter, cum ex combinatione terminorum inanium, notio tantummodo oriatur deceptrix, nulla definitio ex illis condi potest; nam definitio est notio, non deceptrix, sed completa atque determinata (§. 5.). Hinc etiam definitio memoriæ veterum Philosophorum per receptaculum idearum, in quo conduntur, & unde rerum usu exigente denuo promuntur, tanquam absurda, imò impossibilis, adeoque nulla definitio a recentioribus habetur; cum notio complexa, quæ conficitur ex terminis hinc simplicibus atque inanibus, sit notio deceptrix, essentiæ animæ utpote entis simplicis repugnans.

**N**ec termini metaphorici sive improprii definitionem ingredi debent: nisi definitione ante fuerint explicati (a). Per voces & terminos, sentia animi nostri alteri indicamus;

qui si ea intelliget, eandem vocibus tribuere debet significationem ac nos (§. 9.). Termini vero metaphorici cum in sensu proprio atque fixo non sumantur, sed translato; ideoque nec alter qui in sensu proprio atque fixo iis utitur eandem ac nos in se excitare valet notionem: consequenter nec definitio, quam termini ejusmodi metaphorici ingrediuntur, nisi in dato casu intelligibilis est, sed obscura. Ad evitandam itaque obscuritatem in definitionibus, terminis impropriis non esse utendum quisque videt. Asserti veritas, hoc modo porro probatur: definitio est notio completa atque determinata, adeoque per illam definitum ab omnibus aliis rebus distingvi oportet (§. 2. 3. 5.). Per terminos autem metaphoricos, rem unam ab aliis, nisi in dato casu, nunquam distingvere possumus, cum significatio illorum incerta sit atque vaga, donec explicentur termini & significatus illorum fixus reddatur. Proinde nec aliqua notio completa atque determinata ab illis oriri potest; nam per notionem completam atque determinatam rem unam ab aliis distingvere valemus (§. 2. 3.). Si notio completa atque determinata ab illis oriri non potest, nec definitio; definitio enim est notio completa atque determinata (§. 5.). E. gr. Si definirem conscientiam malam, per serpentem, animum rodentem. Qvis quæso ex hac definitione sciret, conscientiam malam ad actus intellectus referendam esse?

Et quis eam ab aliis quibuscunque intellectus motibus distingvere posset? Verbo ut dicam, si terminis technicis in definitionibus uti non licet, nisi antea explicati fuerint, ut in §. 9. probavimus: multo minus ejusmodi termini definitionem ingredi debent, qui non modo technici sunt, verum insuper etiam metaphoram in se continent quendam.

## §. XII.

**D**efinitum definitionem ingredi nequit. Definitio enim est notio completa atque determinata (§. 5.): ad quam requiruntur notæ (§. 3.). Hæ vero ex illis sumendæ quæ rebus intrinseca sunt (§. 7.). Intrinseca rebus sunt essentialia, attributa & modorum sive relationum possibilitates, ut intra ex §. 16. 17. patebit. Jam, cum definitum, nec essentialle, nec attributum, nec modi possibilitas sit: consequenter nec aliqua nota, *definitum definitionem ingredi non posse, patet.* Eadem regula valet de synonymis definiti: unde nec per synonyma licitum est definire; quia synonymum est terminus indigens definitum, adeoque definito æquivalens. Sed quoniam definitum, definitionem ingredi nequit, ergo nec ejus synonymum, quoniam id ei æquivalet. E. g. Infinitum esse, & limites non habere, sunt synonyma: hinc nec infinitum definiri potest per id quod limites non habet; non enim eviden-

(a) *Conf. wolf. in Log. Min. §. 40. id. in opere Log. majori §. 161.*

tius est, limites non habere, quam infinitum esse. Contra eandem regulam peccatur, dum *circuli in definiendo* committuntur. *Circulus* vero est vitium, quo terminus admittitur in definitione, cujus, termini nimirum, definitionem ingreditur definitum. Sic namque definitum constituitur nota sui ipsius notæ, consequenter definitum antea agnoscendum quam illius nota: quod absurdum esse, quisque videt (a).

## §. XIII.

**D**efinitio nec latior, nec angustior esse debet suo definito. Etenim definitio est notio completa atque determinata generis & speciei (§. 5.), consequenter res ad sua certa genera atque species reducere debet. Si itaque definitio fuerit latior suo definito, tum eo in casu, res ad sua certa genera atque species per definitionem non reducuntur; unde etiam apparet ejusmodi definitionem minus esse accuratam. E. gr. Definit *Wolfius in Log. sua minori §. 58. voces, per signa notionum nostrarum unde alteri innotescunt; quam tamen definitionem in opere suo Log. majori §. 36. emendavit; quippe quod illa latior sit suo definito. Non enim omnia signa notionum sunt voces, licet omnes voces sint signa notionum. E. gr. In mutis observantur certa notionum signa, quæ tamen non sunt voces. Unde etiam liquido constat, definitionem hanc non reducere definitum ad suam certam speciem. Minus*

(a) *vid. §. 169. in Wolf. Log. Majori.*



14  
itaque est accurata (a) *P. r. est ratio*, cum definitio angustior est suo definito; neque enim in tali casu res ad sua certa genera atque species reducuntur. E. gr. Si *triangulum in genere* definiatur per triangulum tribus lineis æqualibus terminatum. Hæc definitio angustior est suo definito; definitum enim sub se comprehendit omnia triangula, non tantummodo æquilatera verum etiam æquicrura &c; definitio autem ad triangula æquilatera tantum applicari potest, consequenter angustior est suo definito, & definitum ad suum certum genus, suamque certam speciem (genus puta inferius, quod respectu generis superioris est ut species) non reducit. Adeoque nec notio completa atque determinata generis & speciei est, nec accurata definitio. Veritas itaque in aprico est; *definitio nec latior nec angustior esse debet suo definito.*

§. XIV.

**D**efinitio sit brevis. Definitio est notio completa atque determinata (§. 5.), consequenter tot & non plures continere debet notas, quam quæ sufficiunt, ad rem ab aliis quibuscunque rebus distinguendam (§. 3.) reliquæ eliminandæ.

§. XV.

**D**efinitio negative non est condenda. Quivis enim definitiones resolvens perspicit, definitum in definitionibus esse *subjectum*, ipsam vero definitionem

(a vid. Baumeisteri *Philos. Definitiva* p. 12.

15  
*predicatum* Quod si itaque predicatum fuerit negativum, hoc ipso removetur a suo subjecto, hinc, nec nota aliqua esse potest, per quam distingui possit subjectum; id enim quod a subjecto removetur, naturam subjecti declarare non potest, nisi in contradictoriis, quæ de re intra audiemus. E. gr. in hac definitione: *triangulum non est quadratum*, removetur predicatum a suo subjecto. Proinde nec ista predicati remotio nota trianguli esse potest, nec naturam ejus declarare; cum notæ sint rebus intrinseca unde agnoscantur & a se invicem discernantur. (§. 7.) Apparet itaque definitiones negativas non esse tolerandas. Porro, si definitiones negativæ admittantur, necessum est, ut omnes in toto hoc universo res enumerentur, donec solum definitum remaneat; e. gr. in negativa solis definitione, eundem esset per omnia entia, hoc modo: *Sol non est Luna, nec Venus, nec Mercurius, nec Terra, nec aër, &c.* donec remaneret solum definitum *Sol*; quod quum impossibile sit, patet definitiones negativas non esse admittendas. Nihil tamen secius definitiones negativæ tolerari possunt circa entia contradictoria opposita, si nimirum unum eorum positive ante fuerit definitum. Ratio hujus rei in ipsa natura entium contradictoriorum continetur. *Contradictio est simultanea ejusdem affirmatio atque negatio*: entia autem in quibus hæc contradictio locum habet, dicuntur *contradictoria*. Necessum itaque est, ut si quid de uno

uno horum affirmatur, de altero ejus opposito negatur: & contra; unum enim contradictoriorum semper verum esse debet alterum falsum, id quod requirit principium exclusi medi inter duo contradictoria, Cujus veritatem heic etiam ostenderemus, sed prohibet temporis angustia, prohibet ratio instituti, jubetque ea præcipue explicare quæ exorsi sumus. Quare L. B. ad Celeberrimum Dn. *Wolsum* (a) relegamus, ubi veritatem principii demonstratam habet. Sint itaque A. & B. contradictoria. Quod si ergo definiveris A per ejusmodi ens, quod ex pluribus a se invicem distinctis constat partibus: tum nihil prohibet, quin ejus oppositum B negative definiatur, removendo nimirum ab illo definitionem 7<sup>a</sup> A; adeo ut B sit ens quod partibus careat. Hæc definitio 7<sup>a</sup> B licet negativa sit; reducit tamen B ad suum certum genus, superius & inferius, hoc est speciem (§. 4.). Quod hoc modo demonstro: Omne ens quod partibus caret est ens simplex: Atque B est ens quod partibus caret (vi definitionis 7<sup>a</sup> B); ergo B est ens simplex. Apparet itaque veritas asserti mei; terminus enim ens, indicat genus superius, simplex, inferius. Porro, cum hæc definitiones negativæ, reducant definita ad sua certa genera, suasque certas species; ergo etiam ea, definita puta, ab omnibus aliis rebus, ad eadem genera eademque species non pertinentibus, distinguunt, quod erat secundum momentum. Et ne

ali

aliquis existimet nihil positivi, a definitione negativa deduci posse, sed quod sterilis & inutilis sit: ostendam quod ex definitione data 7<sup>a</sup> B., omnia ejus prædicata erui possint, hocque tertium erit momentum. Quando enim (ut *Wollius* ait §. 673. ont.) per notionem privativam patet, enti cuidam convenire non posse prædicata illius entis quod de eo negatur, eo ipso simul manifestum, eidem convenire desere prædicata opposita. Sed ad exemplum unde digressus sum regrediar, ostensurus qua ratione veritates inde erui possint. Definivimus B per ens quod partibus caret, consequenter extensum non est, ergo indivisibile, ergo nulla prædicata est figura, ergo caret magnitudine, ergo ortus ejus instantaneus est, ergo si interire debet annihilandum est: & quæ reliqua ejusmodi prædicata sunt. Hinc itaque sic argumentor: quæcunque Definitiones I:º reducunt res ad sua certa genera suasque certas species, 2:º res seu definita sua, ab omnibus aliis rebus, ad eadem genera eademque species non pertinentibus, distinguunt, 3:º aptæ sunt ex quibus deducantur reliqua rerum prædicata, eæ quam maxime tolerandæ: atque definitiones negativæ contradictoriorum, si modo unum eorum positive ante fuerit definitum; ergo &c. Minor terminus in hoc syllogismo, ex supra dictis patescit: Major probatur ex natura definitionis, cujus officium nihil aliud est, quam ea quæ enumerantur in majore propositione præstare; definitio enim est no-

C

tio

tio completa atque determinata generis & speciei  
(§. 5.).

(a) in Ontol. §. 53.

§. XVI.

**E**ssentialia ea vocantur, quæ entibus constanter insunt, quorum tamen unum per alterum non determinatur. Quæ vero constanter insunt, sed per essentialia simul determinantur, attributa appellamus: eaque duplicia sunt, propria nimirum atque communia. *Attributa propria* vocantur, quæ per omnia determinantur essentialia: *communia* autem, quæ per unum vel alterum tantummodo determinantur. Ex definitionibus itaque essentialium atque attributorum patet, quod ea entibus constanter insunt, verum etiam modorum ac relationum possibilitates. Demonstratio: *omne quod est vel fit sua non destituitur ratione, cur potius sit quam non sit, cur potius fiat quam non fiat* (principium hoc quod dicitur *rationis sufficientis*, & a priori, & a posteriori per experientiam nimirum, veritati consentaneum esse demonstrarunt uiri eruditi, quare etiam nobis hoc principio uti licitum esse existimamus, licet id non demonstremus); oportet itaque ratio adsit in ipsa re h. e. in essentialibus, cur aliquis modus in ea possibilis sit; id enim si negas, & rationem ab extrinseco quodam principio petendam esse statuis, tum  
caussa

caussa eadem, in qualibet re, eundem produceret modum, e. g. ignis non modo aurum, argentum, plumbum &c. liquaret, verum etiam lapidem, lignum & quæ reliqua sunt: quod experientia est contrarium. Quod si ergo possibilitates modorum ac relationum determinantur per essentialia, utique ad illa quæ rebus intrinseca sunt pertinent, quæque entibus quibuscunque constantia sunt: adeo ut salvis essentialibus, possibilitates quoque eorum maneat. Eiusmodi autem possibilitates, quæ possibile sunt non per essentialia, sed propter modum quendam præcedaneum, h. e. præsupposito quodam altero modo, ex huc non pertinent, mutabiles quippe sunt. E. g. Quod plumbum urat possibile quidem est, sed non nisi præsupposito altero quodam modo: nimirum, si vi ignis antea calidum factum fuerit, vel etiam liquefactum. Apparet itaque possibilitatem urtionis in plumbo esse mutabilem; cum non semper, sed præsupposito altero quodam modo, possibilis sit.

§. XVII.

**Q**uoniam nihil, nisi quod rebus constanter inest, definitiones ingredi debet (§. 7.): ergo essentialia, attributa, & modorum ac relationum possibilitates quæ ab essentialibus determinantur, eas ingredi possunt; quippe quæ rebus constanter insunt (§. 16.). *Modi* autem cum nihil aliud sint quam

*mutabilia rerum*, ex definitionibus exulare debent. Definitiones, in quibus enumerantur essentialia, *ess.* *sentiales* dicuntur. *Accidentales* autem nominantur, si attributa & modorum ac relationum possibilitates tantum, eas ingrediuntur.

## §. XVIII.

**D**efinitio *realis* est, quæ genesin rei declarat, seu quæ ostendit rem definitam esse possibilem. *Nominalis* autem per quam non patet num res definita sit possibilis. Definitiones & *essentiales* & *accidentales* cum genesin rei non declarent, ut ex §. antecedente videre licet, ubi definitiones earum dedimus; *reales* non sunt, sed *nominales*. Hæc autem obiter notandum, nos, ad mentem nonnullorum recentiorum, notionem definitionis *nominalis* ac *realis* paulo alio adhibere significatu ac antiquiores philosophi, qui per *definitiones nominales*, nominis alicujus, adhibitis aliis, ejusdem significatus vocibus notioribus, explicationem indigitarunt; per *reales* autem, ipsius rei per nomen significatæ, expositionem,

## §. XIX.

**Q**uoniam essentialia a se invicem non determinantur (§. 16.), adeoque nec unum ideo inest quia inest alterum; sed potius omnia insunt ideo ut reliqua inesse possint, vel etiam insint: *definitio*

*definitionem nominalem conditurus omnia enumerare debet essentialia.* E. gr. Essentialia in triangulo æquilaturo sunt, 1:0 numerus ternarius laterum, 2:0 æqualitas eorum; definitionem itaque nominalem trianguli æquilateri condituro non sufficit unum horum enumerare, nimirum, *triangulum æquilaterum esse figuram tribus lateribus terminatam*, hoc enim commune est, cum triangulo *rectangulo, equicruro, scaleno*, & consequenter unum hoc essentialia insufficientis est, ad rem ab aliis quibuscunque distinguendam, quod tamen ad accuratam definitionem requiritur (§. 5.), necessum itaque est, ut æqualitatis laterum quoque fiat mentio. Sed si essentialia perspecta non fuerint, tum *attributa* definitionem nominalem ingredi debent, & quidem unum, si attributum fuerit proprium; quippe quod per omnia essentialia simul determinatur (§. 16.): ex attributis autem communibus tot sunt enumerandæ, quot sufficiunt ad definitum ab omnibus aliis rebus distinguendum, id quod requirit notio determinata (§. 3.). Quod si vero tam essentialia quam attributa incognita fuerint, tum ex iis quæ in rebus constantia sunt, possibilitates modorum ac relationum, quæ ab essentialibus determinantur, tantum modo remanent (§i. 16. 17.). Ideoque hæc, possibilitates puta, in ejusmodi casu, definitionem ingredi debent: & quidem *una*, si possibilitas ista ab omnibus determinatur essentialibus; tum enim per

modum attributi proprii rebus inest (§. 16.) sed si possibilitates ejusmodi fuerint, ut non per omnia, sed per unum vel alterum tantummodo essentialia determinentur, tum per modum attributi communis rebus intunt; ideoque tot enumeranda sunt, quot sufficiunt ad efficiendam notionem completam atque determinatam ipsius definiti (§. 5.). E. gr. Possibile est, ut parallelogrammum per lineam diagonalem, in duo triangu'la equalia dividatur: hæc possibilitas cum ab omnibus determinetur essentialibus, h. e. a quatuor lineis & earum parallelismo; ad illius notionem completam & determinatam efficiendam sufficit; adeo ut Parallelogrammum sit figura plana, que per lineam diagonalem, in duo triangu'la equalia dividi possit. Possibile quoque est ut quadratum per lineam diagonalem in duo triangu'la æquicrura æqualia dividatur: imo quod linea diagonalis possit esse hypotenusa ad angulos oppositos. Hæ duæ possibilitates, cum non determinentur ab omnibus essentialibus simul, ideoque per modum attributi communis quadrato intunt, ambæ quoque definitionem ejus ingredi debent. Quadratum itaque est parallelogrammum, quod per lineam diagonalem in duo triangu'la æquicrura equalia dividi potest, & in quo linea diagonalis potest esse hypotenusa.

## §. XX.

**Q**uoniam definitio est notio completa atque determinata generis & speciei (§. 5.); unaque

quaque definitio notas continere debet ejusmodi, quæ indicant & genus & speciem; h. e. ad unamquamque definitionem, genus & differentia specifica requiritur, & quidem si fieri potest genus proximum. Notio autem speciei ejusmodi præbet notas; quippe in qua etiam continentur ea, quæ cum aliis speciebus communia sunt, ut videre licet ex adducto exemplo in (§. 4.). Sed quidquid heic de speciebus dicimus, intelligendum quoque est de generibus inferioribus; quippe quæ sint instar species respectu generum superiorum (§. 4.).

## §. XXI.

**S**ed postulat quoque ratio instituti, ut ad definitiones reales sive geneticas perveniamus, quarum definitionem dedimus in §. 18: Hæ, quoniam genesin rei declarant (§. 18.), ostendant quoque definitum esse possibile, seu quod idem est, essentialia sibi invicem non repugnare sive contradictionem involvere: *genetica* dicuntur: nam genesis sibi impossibilis declarari non potest, est enim non ens. Id, quod ut omnium primum in re quædam concipimus, essentia est; nihil autem prius concipi potest, quam quod essentialia sibi invicem non repugnent, seu quod res possibilis sit, apparet essentiam rerum, eo respectu, consistere in possibilitate. Et quoniam definitiones reales ostendunt rem definitam esse possibilem, ut ex præcedentibus videre licet, consequenter etiam, ipsam essentiam rei explicant.

## §. XXII.

## §. XXII.

Quoniam definitio realis, modum, quo aliquid fieri potest, explicat (§. 18. 21.), definitionem realem conditurus, accuratam habebit cognitionem 1:º *omnium essentialium*; quippe quæ ipsam rem constituent (§. 16.), 2:º *modi*, quo ad rem constituendam concurrunt essentialia, sive quid unumquodque eorum ad genesin rei conferat. Nam ex essentialibus solummodo, cognitionem geneseos rei haurire non possumus, ut attentus Lector, ex experientia facile perspicere potest, sed requiritur quoque ut sciamus qua ratione inter se combinentur essentialia.

## §. XXIII.

Ob præstantiam definitionum realium, fufius quidem indicandum esset, quot modis ad eas pervenire possimus; sed vetat hoc temporis angustia, vetat res angusta domi; ideoque breviter tantummodo indigitabimus, nos quatuor modis ad definitiones reales pervenire posse. 1:º Per combinationem rerum cognitarum, dum attendimus ad id quod inde provenit. 2:º Per definitionem nominalem, si quædam alia quoque quæ requiruntur, nobis cognita fuerint: qui tamen modus non adeo facilis est; multarum enim rerum prærequirit notitiam. 3:º Dum oculo vel nudo, vel armato, structuram corporum inspiciamus, & ea, corpora

puta, in suas partes essentielles dividere possumus. 4:º Si præsentem sumus dum aliqua res gignitur, & ad ipsius genesin, attentionem adhibemus, facile certe definitio realis detegitur.

## §. XXIV.

Usus definitionum tam nominalium quam realium eximium esse, neminem fugere existimaverim: uno tamen vel altero verbo illum tangere licebit. Usus habent definitiones in propositionibus rite intelligendis; reddunt enim terminorum significatum fixum. Usus habent in invenienda veritate, seu in amplificandis scientiis; ex definitionibus enim erui possunt axiomata, postulata, theoremata, problemata, ex hisce conclusiones, & sic ulterius: quod satis superque ostenderunt viri recentioris ætatis eruditi, in suis libris magno cum studio conscriptis. Addam verba *Celeberrimi Baumeisteri*, in præfatione ad suam *Philosophiam definitivam*, ubi sic loquitur: *definitionum tanta est necessitas, ususque tantus, ut citius adificium, labefactatis, convulsis planeque subrutis fundamentis, integrum stare inconvulsisque existimem, quam ut quempiam, sine exquisita definitionum cognitione, philosophari, & in philosophando severa posse lege proficere, mihi persuadeam. Sed manum de tabula. Hæc pro ratione instituti sufficiant. plura qui desiderat, adeat Celeberrimum Jo. Jacobum Syrbium in suis institutionibus*

Philo-

26

Philosophiæ Rationalis, *Christianum Wolffium* in suis  
operibus Logicis, *Christophorum Andr. Buttnerum* in  
sua Logica quæ extat in ejus Cursu Philosophico,  
*Georg. Paul. Rosenbeccium* in sua Logica Veteri & No-  
va, aliosque qui ingenia sua in hac ardua mate-  
ria exercuerunt,

SOLI DEO GLORIA.

